



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De legis & euangelii distantia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



concupiscenda re proximi præcipitur: & in eo quod dictum est. Non mœchaberis, poterat illud intelligi. Non concupisces vxorem proximi tui. Sed in illis duobus præceptis non mœchandi & non furandi, ipsa opera notata sunt & prohibita: in his vero extremis, ipsa concupiscentia: multum ergo differunt illa ab istis. Vnde illi præcepto non mœchandi, fit superaditio in Euangelio: vbi omnis concupiscentia mœchandi prohibetur. Sed cum hic prohibeatur concupiscentia alienæ vxoris, & alienæ rei: quare dicitur lex cōprimere manum & non animum? Illud de lege dicitur secundum ceremonialia, non secundum moralia: Vel quia in lege non est generalis prohibitio omnis mortiferæ concupiscentiæ, vt in Euangelio.

*Quid sit litera occidens.*

B

Si vero quæritur. Quam dicat Apostolus literam occidentem? Ea certe est decalogus: qui non dicitur litera occidens eo, quod mala sit lex, sed quia prohibens peccatum augeat concupiscentiam, & addit præuaricationem, nisi liberet gratia, quæ gratia non sic abundat in lege vt in Euangelio. Vel secundum eorum carnalem intelligentiam. Lex ergo bona est, & tamen occidit sine gratia, cum sit virtus peccati, quæ iubet quod sine gratia impleri non potest. Gratia autem deerat, & ideo litera occidens erat. Distat autem Euangelij litera à legis litera, quia diuersa sunt promissa: ibi terrena, hic celestia promittuntur. Diuersa etiam sacramenta: quia illa tantum significabant, hæc conferunt gratiam. Præcepta etiam diuersa, quantum ad ceremonialia. Nam quantum ad moralia, sunt eadem, sed plenius in Euangelio continentur. Audistis decem chordas Psalterij vtrique sexui impositas: quæ charitate tangendæ sunt, vt vitiorum feræ occidantur.

TITV.

*Aug. super  
Exod. 9. 71.  
in tom. 4.  
Matth. 5. d  
Quare lex  
comprimere  
dicitur non  
animum.*